

**Carmen gratulatorium
Harry Halén sexagenario**

die 24 mensis Mai a. 2003 dedicatum

Harry, socius probatus
et collega noster gratus,
titulo licentiatus,
annos sexaginta natus
est his scriptis celebratus.

Eruditus est Normali
in Lyceo principali
urbis, ubi iam permultis
artibus et rebus cultis
studens linguas Orientis
didicit et Occidentis.

Academicus tum civis
studiis comparativis
dedit operam linguarum
gentiumque longin quarum.

Est maritus Harry factus,
tribus filiabus auctus,
coniux Russica sermone,
Finlandensis natione.

Vir annorum sexaginta
annos circiter triginta
sedulus amanuensis
exstitit Helsinkiensis
Instituti culturarum
Afro-Asiaticarum
earundem et linguarum.

Ex archivis res collegit,
textus veteres redegit,
libros scripsit, divulgavit,
res remotas explicavit.

Linguam veterum Turcorum
novit nec non Mongolorum,
monstra *mangus* perscrutatus
factus est licentiatus.

Mannerheim est vir, quem Harry
usque pergit admirari,
eius edidit fragmenta,
Uiguratorum documenta.

G. J. Ramstedt imitandus
illi fuit et sectandus,
curriculum cuius vitae
scripsit admodum perite.

Et historiam doctrinae
patriae vel peregrinae
illustravit et locales
res tractavit litorales.

Populares non neglexit
res, sed potius dilexit:
quos trans maria meantes,
olim procul navigantes
sors in Finnam portavit,
Harry horum res narravit.

Est expertus et translator,
Finnicus versificator:
Kirgisorum nationis
carmen vertit nostris sonis.

Res athleticas amare
solet, corpus sic curare,
birotat, libenter natat,
et cum bibit, aquam amat.

In officiis praestandis,
rebus omnibus curandis
notus est vir accuratus,
providus, consideratus.

Moribus originalis
Harry forsitan, sed talis

qualis orientalista
esse debet altaista,
doctus indogermanista,
sanskritista, latinista,
tota vita humanista.

Sicut refert res remotas,
antea haud multis notas,
ita scripta dono data
haec *Remota* sunt *Relata!*

Gratulabundus scripsit
Tuomo Pekkanen